



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Examen Confessariorum Repetitum**

**Schoonaerts, Gregor**

**Coloniæ Agrippinæ**

**VD18 14542323-001**

Caput II. De Sacramento Matrimonii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41226**

360 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

promissorum, sed non stupri conscio, sàpè sapientius in uxorem postulat. Renuit pater, & filiae per minas suadet, ut promissa relaxet: quo facto, Philippus jurata sponsalia contrahit cum alia; interim Joanna apparet gravida de Philippo, quod observans pater instat, ut illam nunc in uxorem ducat, minando alioquin utrique mortem. Ille, fide sibi relaxata, & de novo alteri cum juramento datâ, se excusat, & ad angustias redactus, ad Confessarium recurrit, petens, utram debeat ducere?

Resolvo cum Ludovico de Beia, quòd debeat ducere primam, quia pater vi iniquâ impulit filiam ad renuntiandum promissioni datæ.

C A P U T II.

*De Sacramento Matrimonii.*

§. Unicus. Quid sit Matrimonium, & quando institutum?

**M**atrimonium considerari potest vel sub ratione contractus, vel sub ratione Sacramenti. Matrimonium in ratione contractus est, *Viri, mulierisque conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuam viræ societatem retinens.*

Matrimonium ut est Sacmentum, in communis sententia definitur: *Sacmentum novæ Legis, in quo vir & mulier per conjunctionem maritalē individuam societatem ineunt.*

Matrimonium quatenus est in officium naturæ primitus ordinatum, id est, ad procreationem prolis, institutum est ante peccatum, & verosimili-

similiter statim post creationem Evæ ex Adæ costa: *Qui enim fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos: & quod Deus conjunxit, homo non separet.* Matth. 19.

Matrimonium in ratione Sacramenti verosimilius institutum est in Cana Galileæ Joan. 2. v. 2. & constat ex S. Cyrillo lib. 2. cap. 22. ad hunc locum dicente: *Opportunè jam ad signorum initium accedit: nam honestè celebratis nuptiis, tam mater, quam ipse cum discipulis invitatus adest, ut nativitatis nostræ principium, quantum ad carnem attinet, hoc est matrimonium, sanctificaret: oportebat certè, quoniam totam hominis naturam ad melius restauraret, non solum natis jam hominibus benedicere, sed etiam nascituris gratiam preparare, & aditum illorum ad hanc vitam, auctoritate Miraculi, & presentiâ suâ sanctum efficere.*

In mundi exordio, quamdiu fuit paucitas hominum, extitit præceptum contrahendi matrimonium, modò non existit similis obligatio: *Prima Dei sententia crescere, & generare præcepit, secunda continentiam suasit.* S. Cyp. lib. de habitu Virginum circâ finem.

Materia proxima hujus Sacramenti sunt actus contrahentium, seu consensus utrinque partis exterius manifestatus. Forma sunt verba Parochi: *Ego vos in matrimonium conjungo in nomine Patris &c.* vel alia æquivalentia juxta consuetudinem cujusque loci.

Effectus hujus Sacramenti est augmentum gratiæ sanctificantis, & gratia Sacramentalis, quæ

362 TRACT. DE SACRAM. MATRIMONII.

ad hoc datur, ut conjuges castè sese diligent,  
& pacificè cohabitent, infirmitates mutuas sup-  
portantes, ac matrimonio ritè utentes, id est, non  
sequendo impetum libidinis, sed legitimam pro-  
lis procreationem, ejusque honestam & piam  
educationem intendendo.

Minister hujus Sacramenti est solus Parochus,  
vel alius Sacerdos, de ipsius, vel Ordinarii li-  
centia; licet non desint, qui ministros hujus  
Sacramenti docent esse contrahentes.

Solum Parochum, &c. esse hujus Sacramenti  
ministrum, constat ex Trid. sess. 24. cap. i. ubi  
præcipit, quatenus Parochus in celebratione ma-  
trimonii viro & muliere interrogatis, ac eorum  
consensu intellecto, dicat: *Ego vos in matrimo-  
nium conjungo, &c.* cumque illa verba sint vera,  
& Parochus tunc non conjungat sponsos in Ma-  
trimonium sub ratione contractū considera-  
tum, (contractus enim antè per consensum  
utriusque exteriū manifestatum celebratus est)  
necessē est, fateamur, quod Parochus eos con-  
jungat in matrimonium sub ratione Sacramenti,

C A P U T III.

*De Consensu, & Contractu Matrimoniali.*

§. I. *Qualis consensus requiratur ad  
valorem Matrimonii?*

P.I. **A**N ad valorem contractū matrimonialis  
absolutè requiratur consensus in copulā?